

Sforcia subito in Galliam transfiret. Pasius ait, fœdus in 1439
Hetruria renovatum, dum adhuc Brixiana obsidio tene-
ret. Sed si ad idus Februarias est icum, ut Blundus scri-
bit, non video, qua ratione id fieri potuerit, quum ante
Januarii calendas constet Brixiam oppugnari desisse: quan-
quam tum quoque satis vexata videri potuit, cui ob præ-
fida opportunis locis disposita, & itinera hostibus infes-
sa, neque arma neque commeatus importari poterant.
Sed sive tunc, ut ille ait, sive postea id acciderit, Phi-
lippus ad eam generi defectionem vehementer animum re-
misit. At Picininus nihil cunctandum ratus, nec aliquo
modo expectandum, ut Venetorum opes Sforciæ adventu
firmarentur, de Athesi superando cum Mantuano Principe
agitare cœpit. Apparebat, non mediocriter id Philippi
opibus conducturum, si in Patavinum agrum aut Vincen-
tinum, bellum transferretur. Quod facile videbatur futu-
rum, si alterutros fines adorti locum aliquem, ubi belli
sedes figeretur, ex improviso occupassent. Sed id Mantua-
ni Duci consilium fuisse tradunt, qui id bellum quam
longissime domo ablegandum primus omnium excogitas-
set. Naygia quæ in Pado circa Sermenum erant (Conta-
renus enim classem jussu Patrum Clodium reduxerat) per
Tartari fluminis hostium in stagna & paludes trahere: at-
que inde in Athesim, si aquis non posset, solo traduce-
re. Quod hostium consilium quum Mellita aliquanto antea
per exploratores cognovisset, Principem Patresque identi-
dem per literas monuit, ut continuo classem, quanta
opus esse videretur, in Athesim mitterent. Nec circa Be-
nacum res interim in ocio fuere. Petrus Zenus, qui Tur-
bulanæ classi prærerat, ubi longius portui paulatim annavi-
gare cœpit, ita eam lacus partem, quæ est inter Turbulas
& Ponalis ostium, suis aperuit, ut nonnihil frumenti,
quod mercatores eo convexerant, per montis anfractum,
qua fluvius ipse in lacum præcipitatur, gradibus in hunc
usum vivo saxo excisis, in asperos montes primo, inde
Brixiam sit humeris deportatum.

Sed dum hæc in Gallia geruntur, ex legatorum, qui